



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
Ill[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola IX. Illvstri Et Reverendo D. Ioann. Pistorio, Doctori Theologo  
Clariss[im]o, Præposito Vratislauinsi, &c, Ivstvs Baronivs Veteracastrensis  
S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



randem ostentatrici illi suas quoque vires  
ostensurus sit. De cæteris taceo, teque cum  
sancta vrbe, sanctissima curia Dei Opt.  
Max. præsidio æternum commendo. Vale.  
Mogunt. 3. Idus April. M. DCIII.

EPISTOLA IX.

ILLVSTRI ET REVERENDO  
D. Ioann. Pistorio, Doctori Theologo  
Clariss<sup>o</sup>, Præposito Vratisla-  
uiensi, &c,

IUSTVS BARONIVS VETE-  
racastrensis S.

GRATVLERNE tibi prius, iam dudum ex  
faucibus orci liberato, inq; Regia Dei  
loco excelso & splendido inter lucidissimas  
Ecclesiæ faculas cõstituto, *Illustris & R<sup>de</sup>*  
*Dnc*: an mihi gaudeam, vix demum recens  
è *Calvinianis* voraginibus erepto, & nunc  
ad contemplandam Catholicæ fidei purita-  
tem oculos, ad propugnandã man<sup>o</sup> vtcunq;  
instruenti, equidem ambigo. Isthic benefi-  
cium Dei commendat temporis maturitas,  
illustrat nominis claritas, auget copiosissi-  
ma ad omnes redundans vtilitas. Hic tem-  
poris tarditas maturitate ætatis compen-  
satur, obscuritas nominis patronorum fulgo-  
re collustratur, commodorum vtilitas ex-  
pectatione fulcitur. Quidni igitur gratuler



eminentissimæ dignitati tuæ, gaudeam hu-  
 militati meæ, vtrique ex morte excitatæ, ex  
 tenebris extricatæ, ad salutis indubitatum  
 tramitem constitutæ, Dei deniq; maximo,  
 quod in hominem conferri potest, benefi-  
 cio dotatę. Sed hanc gratulationem nostrā,  
 vide quantus cæcorum dolor clamorq; in-  
 terpellet. Illi enim distortos oculos ani-  
 mosque gerentes, distorta de nobis iudicia  
 ferunt, gratiam Dei interpretantes pœnam,  
 lumen tenebras, veritatem mendacium, sa-  
 lutem denique æternam sempiternum exi-  
 tium. Qua in re etsi deplorandam magis  
 quam exagitandam miserorum cæcitatem  
 fateor, obstinata tamen illa in repudiandis  
 defensionibus iustis surditas, insatiabilis ca-  
 lumniandi libido, qua in nos quasi furijs  
 quibusdam incitati sine modo & ratione  
 feruntur, nescio quomodo etiam patientis-  
 simum quemq; laceffit, ac stimulis agit in-  
 credibilib<sup>9</sup>. Vt primū per populos tua olim  
 audita conuersio (liceat mihi ita communi  
 Ecclesiæ stylo loqui) miram quātoperè in-  
 censi allophylorum animi, quam efferatę  
 linguæ, conuocati Senatus, calculi omni-  
 um nigerrimi proiecti! Quo tempore ego  
 cum<sup>a</sup> Paulo custodiebam secus pedes meos ve-  
 stimenta lapidantium Stephanum, nec min<sup>9</sup>  
 animo feriebam, quam illi lingua aut ma-  
 nu. Paulo post ad publicas illas conuicio-

*a. 47. 7. 58.*

*rum*



rum *ἀπολόγους* suffectus (Cathedras magistrales dico) nō minus acriter bacchabar & latrabam, quā grandes illi molossi, quorum rudimentis ego imbutus fueram, ut quod ab <sup>b</sup> *Augustino* alicubi scriptum est, *iure tunc mecum non docendi cibo, sed refellendi fustibus ageretur.* Nunc Dei munere eandem tecum viam ingressus, eandem fortunam experior, misereque odijs, calumnijs, proscriptionibus lancinatus, quasi grandi lapidum aceruo tantum non obruor ac sepeior. Sed hactenus fortè par conditio nostra, *Illustris D<sup>ne</sup> Pistori*: isthac verò impar, quod tu magno quodam animo è fluctibus illis & tempestatibus emensus, iam dudum per fugium nostrum & portum Ecclesiam limatissimis scriptis quasi fossa valloq; cinctiac muniuisti: ego cum turbinibus adhuc multis colluctans, neque pari robore pollens, parum tanta causa dignum instruere exercitum queo. Conuocaui tamè quas in procinctu habui copiolas, easque ut <sup>c</sup> *A. c Genes. 14.* *brabā* suos vernas, in *Amraphel* & *Arioch*, *14.* & *Chodorlahomor*, & *Thadalgentium* regem eduxi, conflicturus si queam, sin min<sup>9</sup>, velitaturus. Cui<sup>9</sup> ego te tyrocinijs quia quā maximè spectatorem opto, en tibi signa mea & castra, en tela & falces, tuis perditissimi scio, sed nec à tyrone acutiores requirendæ. De cæteris <sup>d</sup> *mibi omninò decretum, d Hieron. Epist. 94. ad August.*



*est te non vt commilitonem, sed vt ducem  
amare, te suspicere, colore, mirari, in aq. dicta  
quasi mea defendere: idq; vt à me officij ge-  
nus gratum habeas, peramanter oro. Vale.  
Mogunt. 4. Calend. Iun. M. DCIII.*

## EPISTOLA X.

OCTAVIVS PARAVICINVS

S.R.E. Cardinalis

IUSTO BARONIO VETERA-  
*castrensi S.*

Clarissime Domine, vti frater.

**F**ACIT singularis tua humanitas, vt tãti ç-  
stimes, ac tãtopere extollas exiguã meã  
in te benevolentia significatione: exiguam  
inquam, ne dixei in inanem, cum verbis  
tantum non te cõstet. At animum te meum  
spectare in primis arbitror. Vnde & reliqua  
tibi omnia merito polliceri potes, quã à  
me ad tui commodum ac dignitatem ema-  
nare possint. Addis noua quãdam de rebus  
publicis, quorum cognitione oblectari me  
solum recte autumas: pergratum vtiq;ue  
hoc officium, ac tuum comprobat erga me  
studium, vnde tibi magis obstringor. Vtinã  
verò pijs votis tuis rerum euentus respon-  
deant, quod si contigerit, vt sperare velim,  
alias à te ipso litteras expectabo, quã maio-  
ri quidem nos gaudio cumulabunt. Deum  
pre-